









1078.

46.

1678

228

20

*Wolff de fortalitionum obsessorum defensione.*

Q. D. B. V.

DISSERTATIONE POLITICA,

# FORTALITIO-

# RUM OBSESSORUM

# DEFENSIONEM,

## In Inclytâ ad Albim Academiâ,

*Favente gratiâ Cæli,*

SUB PRÆSIDIO

# M. JOHANNIS WOLFII,

Lobej. Sax.

*Publica Eruditorum Examinis*

*exponit*

RESPONDENS

# PETRUS HENZ

Qverf. Sax.

*Ad d. 23. Febr. Anno M. DC. LXXIIX.*

## In Auditorio Collegii Veter.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.





V I R O

*Nobilissimo, Consultissimo, Amplissimo atq; Excel-  
lentissimo DOMINO*

DN. JOHANNI CHI-  
LIANO SEZGERM/  
Jcto Celebri,

NEC NON

*Reverendisimi ac Serenisimi DOMINI*

DN. AUGUSTI &c.&c.  
Præfecto Rationariorum Eiusdemq;  
Ærarii Inspectori Gravissimo Fidelissimo,  
DOMINO PATRONO, AVUNCULO atq; PRO-  
MOTORI meo unico, ideoq; Patris loco piè  
venerando.

Hæc Specimina Academica, ad præsentia no-  
stra tempora eâ, quâ decet, sedulitate accom-  
modata, in sui suorumq; studiorum jucun-  
disimam refocillationem sacra esse unice  
optat

*Nominis illius summi*

*Obstrictissimus Cliens*

PETRUS Herliz / Resp.





I. N. J.  
PROEMIUM.

**N**on oppugnari modò expugnariq; interdum Fortalitia hostili acernimus: Sed ipsa etiam suam defensionem optimè collocare non raro percipimus, ita ut Obsidio non tantum prolixius extendatur; Sed ipsa nonnunquam irrita reddatur. Descendunt hinc Viri prudentes in Quæstionem haut remnendam: Num ista Fortalitia licitè justeq; se defendere, tantog; sanguine fuso, Principi suo fidelia permanere queant? Pauci, rerum politicarum non latis gnari, quæstionem inficiantur; Plures affirmant, multisq; svadent Argumentis. A parte horum & nobis stantibus, placet, jucundam hanc Tractationem: Num videt Fortalitiis obses fortiter se defendere liceat, hanc dissertatione brevibus subire. Tu supremum Numen nos adjuva gratiosissimè!

§. 1. Termini pleriq;, qui hinc in controversiam venire possunt, satis cum sint expositi, cumq; constet, quid sibi velit Fortalitium, item rō Licitum, è præcedaneis dissertationibus, modò observatum fuerit, quod licitum hinc maximè respiciamus, acceptum pro eo quod rectè sit, omniq; parte est iustum ac pium: deinde verò varias ob circumstantias, sumtum quoq; pro eo, quod sit impunè: Brevitatem attendentes, quædam saltem circa Defensionem præmonenda erunt. Nonnunquam latissimè accipitur, pro verbalitantiâ defensione, quem admodum Theses ad disputandum propositas defendere, vel quæ fortè incogitanter nonnihil in conflictu quodam prolocuti sumus, tutari dicimur.



ei mur. Huc & illa apud *Ictos* vigens referri potest acceptio, quâ pro nudâ Excusatione sumitur in *L. si Reipubl. de usur. L. 20. C. de Excusat. Tut. It. pro Exceptione L. 1. C. de Jur. & fac. ignor. L. 11. C. de Except.* Nonnunquam tamen nimis, pro quocunq; eorum apparatu, quæ ad defensionem conducere possunt. Sic defendere se dicitur, vel rectius defensionem suam meditari atq; intendere, qui contra hostis vim certa confici iubet munimenta, variiq; generis defensiva instrumenta: Nonnunquam strictissime, pro ipsâ formali ultione, quâ quis levem obpositam rationem exardescens, amarulentiam crudelitatemq; concipit, easq; prius ex animo non extirpat - quàm vindictam pœnamq; à leviter offendente privato nefandog; ausu sumserit longè maximam. Sic præsens vox sæpius in Scripturâ N. Testamenti accipitur. Ubi Christus, accepto unô colapho, alteram maxillam, ad novum suscipiendum, porrigere iubet, *Matth. V. 39. &c.* Sensus est talis, priusquàm levioris cuiusq; offense defensio privata, cum acerbâ ultione conjuncta, suscipiatur, lubentius novâ quasdam, æq; leves, suscipiendas esse. Consentunt hîc Viri quidam summi: Cædenti (injustè) te (privatum) in dexteram maxillam, alteram quoq; (si fortè Magistratus Justitiam tibi administrare recusat) obverte, (potius, quàm ut velis indulgere rancori & vindictæ privatæ) Quamvis non respuamus hanc de alapâ locutionem esse figuratam, per quam innuitur paratos esse debere ad ferendam potius secundam injuriam, quàm ad regerendam priorem. Sic loquitur *Magn. Dn. D. Zieglerus in Observ. ad Grot. L. 1. de J. B. & P. Cap. 2. Num. 8. §. 3. alios non allego.* Nonnunquam adæquatè, propriè satisq; convenienter pro eò actu, quò injuriam malumq; vehementiora, cum ipso vitæ nostræ damno gravissimo conjuncta, retundimus, parq; pari referimus. Quam acceptionem hîc unicè nos attendere, quilibet de facili colligit. Hanc nonnulli moderatam tutelamq; inculpata appellam, quæ estimanda ex persona vim & injuriam inferentis, ex persona item defendentis, ex causâ belli, ex re controversâ, ex loco, ex tempore, & cæteris hujus modi Argumentis.

§. 2. Neq; tamen omnis sic sublata difficultas est. Actus enim iste, quò malum nobis oblatum repellimus, æquitatem attendit,



dit, quam ex spontaneâ, nullâ ad eam suppeditatâ ansâ, offensio-  
ne illatâ colligit, & sic licitus est; Vel eam transgreditur, illicitusq;  
fit: Prior gignit defensionem licitam; posterior illicitam. Qui  
termini prolixius non nihil sunt exponendi. *Illicita Defensio*,  
quæ Jctis tum obtinere dicitur, quando offensio licita censetur  
Bald. Text. singularis est in L. si servus. C. de his qui ad Eccl. confug.  
L. si pignus §. 11. Erem. de furt. datur, quando (1) defenden-  
tes se Bellum vel Expugnationem sunt promeriti. Utut enim illo-  
rum justam defensionem nonnulli autument, quia scilicet  
pauci contenti sint tantundem reponere vindictæ, quantum ac-  
ceperunt injuriæ: Metus tamen ille rei incertæ jus ad vim da-  
re non potest, unde nec reus criminis jus habet publicis Mini-  
stris, capere se volentibus, per vim resistendi, ob metum, ne  
plus æqvô puniatur. Quid quod is, qui in alium peccavit, de-  
beat primùm ei, quem læsit, offerre latisfactionem, viri boni  
arbitratu: Ac tum demum pia erunt ejus Arma. Sic Ezechias,  
cum fœdere non stetisset, quod cum Rege Assyriô Majores ejus pe-  
pigerant, bellô petitus, fatebatur culpam, Regiq; permittebat arbi-  
trium mulctæ. Idq; cum fecisset, & postmodum iterum bello laces-  
feretur, fretus bonâ conscientiâ, vim hostium sustinuit, & Deum  
habuit faventem 2. Reg. 18. 7. 14. & cap. 19. Jam supposito Prin-  
cipem, iis, quibus tenebatur, modis, alteri non satisfacisse, iniq;  
contra illum gladium stringit Defensionis. Cauto vero hîc o-  
pus; quod enim de læso legitimô modô procedit Principe, non illi-  
cô & ipsos tangit subditos vel Incolas. Utut enim Officium boni  
Magistratûs sit, tributa ipsis potius extraordinaria imperare, quam  
operam militarem, si ipsorum animis per causæ expositionem satis  
fieri nequit: Præsertim ubi non defuturi alii, qui militent inq; de-  
fensionem faciant, sive boni sint sive mali: Arbitramur tamen eve-  
nire posse, ut in bellô vel expugnatione non dubiâ modò, sed & ma-  
nifestè injustâ, aliquam subditi sive Incolæ Fortalitii adhibere pos-  
sint defensionem. Nam cum subditos innocentes, & à belli cul-  
pâ remotos, interficiendi jus verum & internum hostis, justum  
quamvis bellum gerens, non habeat, nisi aut ad necessariam defen-  
sionem aut per consequentiam & extra propositum, sequitur, quod,





si certò constet, hostem eò venire animò, ut hostilium subditorum vite parcere cum possit, omninò nolit, subditi illi tueri se possint, ex ipso jure Nature, cui Gentium non contrariatur. Neq; verò quicquam efficiunt exceptiones (1) Sic videri bellum utrinq; posse esse justum. Nam Resp. (a) id quantum ad subditos non esse absurdum (b) Hic non determinate de bello; sed de certâ atq; definitâ actione quari. Ista verò actio, quantumvis sit jus ad bellum habentis, injusta tamen est, & proinde justè repellitur. Conf. Grot. L. 2. de J. B. & P. C. 26. n. 6. (2) Contingere sæpius, ut sumtis adversus Imperium iniquis armis, vel pacto cum publicis ejus hostibus fœdere, Princeps istiusmodi, Receptus Imperiali è Comitibus Imperialibus, quantum ad suam sessionem, excludatur, videri inde ejus subditos à juramento fidelitatis, suo Principi præstito, absolvi, & sic in sui defensionem nec quicquam contra hostes tentare posse. Nam Resp. quantumvis ita videatur, & sæpius etiam in obsidionibus tales causæ prætendantur, subditos nihilominus proscripti Principis, vel Incolas Fortalitii ad extremum usq; se defendere posse, & pro suo Principe & bona & sanguinem immolare. Quamvis enim unanimi Statuum Imperii consensu sedem in Comitibus Imperialibus amittere queat: Quia tamen vel nec Victum satis se concedit talis Princeps, vel Subditis ejus de proscriptione non sufficienter constat, tutius omnino, quantum ad forum conscientiæ, agunt, si in re maximè dubiâ eligunt tutissimum, secundum quod iis ceu Subditis competit Principis imperata obedire facere: Periculosum verò est, deserere ilicò Principem datumq; sanctius fidei fœdus sub Invocatione Nominis divini factum insuper habere. Imprimis cum rogetur is evadeatq; eorum constantiam firmumq; contra Hostem auxilium, sperans fore, ut sic pristinæ restituatur felicitati & unde dejectus illuc recipiatur, & eundem ipsis Animum exhibere iterum queat. Militat tunc certè illud. Quod Tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Jam si malè exponeretur Principi, subditos ad incitas redactos velle deserere, Idem feratur de subditis, Principem deserentibus, judicium, & sic potestas, pro Principe, contra Hostem se defendendi, iis concedatur.

§. 3. (2) Quando defensionem subeunt adversus Magistratum vel in bona externa, vel in interna aliquid durius sibi presumen-  
tem.



rem. Prius facile patet, *partim quia fundus bonorum nostrorum est Principis*, quid ergo erit, si ea, illi quae superstructa sunt, durius tractat? *partim quia ut ait scriptor Problematu quae Aristotelis nomine praferunt: Qui Reſtori maledicit, in civitatem est injurius.* Quod si voce laedendus non est, manu certe multo minus. Hinc poenitentia tactum legimus Davidem, quod vestem Saulis violasset, tantam intelligens personae istius esse sanctitudinem. 1. Sam. 24, 6. *Partim quia David dicit; in fontem neminem esse posse, qui manus Regi in ferret.* Nimirum sciebat scriptum in Lege: Diis non maledices, & Principi in populo tuo non maledices. *Partim quia speciale extat divinum praeceptum: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, non est enim potestas, nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.* Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Rom 13. 1. seqq: 1. Tim 2. 2. Tit. 3. v. 1. & imprimis 1. Petr. 2. 18 qui locus, ut ut de servis horumque; Dominis immediatè accipitur; non inique; tamè etià ad subditos Magistratumque; refertur. Unde etiam compertum est, tales defensiones contra Principes susceptas pessime plerumque; cessisse. *Recordamur paucis ad hinc annis suscepta obsidionis, tentataque; defensionis contra Hereditarium suum Celsissimumque; è Domo Lunaburg. Potentiss. qui tamen iniquitorem iis nondum exhibuerat Animum, Principem, à Brunswicensibus, quomodo vide licet adgressa utraq;.* Illa a vobis secundis; Hæc ausu quam maximè infelici. *Defendendi se & arma sumendi contra Reverendiss. ac Sereniss. Dn. AUGUSTI, Administratoris Archi-Episcop. Magdeb. & c. & c. postulata, Magdeburgensium intentio sub quo auspicio cepit, quosque; reliquerit effectus, aliis judicandum & deplorandum relinquo.* Posterius ex æquo clarum est, *partim quia Christus fugam concedit his, quos Officii necessitudo nulli loco alligat; Ultra fugam nihil.* *Partim quia Petrus ait, Christum, cum pateretur nobis reliquisse exemplum, quod sequamur, qui cum peccato vacaret & doli omnis immunis esset, convitia convitiis non reposuit, neque; inter patiendum minatus est, sed rem permisit justè judicanti.* Idem gratias agendas Deo, ait, & gaudendum Christianis, si tanquam Christiani poenis, subdantur 1. Petr 4. 12. -16. Viderint ergo quicumque; de Armorum contra Principes suos pro defendendâ Religione, modo hæc sit, & non alia causa, levatorum exitu.

S. 4. Si





§. 4. (3) *Si vita Bonorumq; periculum extra hanc defensionem evitari potest. Periculum enim præsens hîc requiritur, & quasi in puncto, quod tamen sæpius abest, cum non satis de Offensoris vel Expugnatoris constat animo. Unde Old. hanc in rem svadet, primùm ne temerè ad arma promoveatur, b. e. sine magnâ necessitate ac deliberatione: Deinde ne modus, qui ad propulsandam vim & injuriam sufficit, excedatur, cur enim occidatur, qui capi poterat? Tertio, ne obtenta defensio trabatur ad insolentiam, multi enim bello rectius utuntur, quàm victoriâ. Fatemur quidem, si hostis obsidens arma arripiat, & quidem ita, ut appareat eum id facere occidendi & expugnandi animo, occupari posse facinus: In Moralibus enim ut & Naturalibus punctum non invenitur sine aliquâ latitudine: Multum tamen falluntur, imò fallunt, qui metum qualemcunq; ad jus occupanda interfectionis admittunt. Rectè dixit Cicero L. 1. de Officiis: Plurimas injurias à metu proficisci, cum is qui nocere alteri cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquò afficiatur incommodò. Clearchus apud Xenophontem: Multos ego novi, inquit, qui calumniâ adducti aut suspicione, dum metuunt alios, & prævenire malunt, quàm perpeti, atrocissimis malis eos affecerunt, qui nihil tale facturi fuerant, ac ne cogitaverant quidem. Exempla hujus rei hinc inde apud Autores prostant. Injusta tali pacto foret defensio, si prætereuntis nondumq; satis cogniti Exercitus tergis insisterent Fortalitia hostiliter: si eruptiones prolixissimas tentarent, iisq; hostem remotum, Principis sui malè offendentis causâ, miserè trucidarent: Si nec svadente nec sciente Principe, nec jubente necessitate, multum in defensionem sunt propensi. &c.*

§. 5. Jam quod ad *defensionem licitam* attinet, ejus etiam paucis evolvemus species. Licita est (1) *Quando fortalitium impetitur vi præsentem, cum periculo tum vite, tum rerum nostrarum omnium inevitabili conjunctâ.* Licentia verò hæc defensionis nascitur primariò ex eò, quod Natura quemq; sibi commendat, non ex injustitiâ aut peccatò alterius, unde periculum est: Ponatur ergò in vadentem non semper peccare, cum possit bonâ fide me oppugnare, eò tamen non tollitur jus metuendi, cum

suffi-



sufficiat, quod ego non teneam id, quod ille intentat, pati non magis, quam si bestia aliena periculum intentaret. Conf. Grot. L. 2. C. 1. n. 3. (2) Quando non tantum de potentia; sed etiam de animo hostis in vadentis fortalitium constat, & quidem ita, ut certum sit, eam certitudine, quæ in Morali materiâ locum habet, firmum videlicet ejus esse propositum, non tantum cingere velle Fortalitium obsidione; Sed etiam id prius non deserere, quam gladio Occupatum sit. Ex quò colligere est, malè à nonnullis defensionem vel ipsum bellum moveri posse, ejus ut solum diminuatur potestas. Et consecrarium injusta bella fuisse Romanorum in Philippum Macedonem, Lyfimachi in Demetrium &c. (3) Quando Fortalitii Princeps & Præsens verbis & absens literis, constantem suadet defensionem, eamque multis privilegiis atque immunitatibus ornare aliquando, locò perpeffarum ærumnarum, promittit. (4) Quando Principi Fortalitii bellum infertur ultrò. Et quæ sunt porro.

§. 6. Ut verò Defensio non benè modò suscipiatur; sed feliciter etiam contra hostem obtineatur, non nulla adhuc præmonenda. Prospiciat sibi præprimis Fortalitium (quod satis jam tum munitum esse suppono) (1) De Capite præsidii, quod sit vir Animo & corpore fortis, fatigationibus non impar, rerum gestarum gloriâ & natalium splendore conspicuus, cujus vitam ætas & exempla mitigarunt. Architecturæ militaris gnarus, ingenii pollens sagacitate, altè hostium abstrusa penetrans consilia, introspiciendis periculis callidus, ac indubitata in Principem fide. Aliàs, si illi hoc munus committitur, qui librorum potius, quam armorum lustrationem intelligit, quiq; de virginibus magis, quam ex cubiis visitandis sollicitus est, citius Fortalitium perdet, quam defendet. Illas autem, quas dixi, virtutes cernens miles imitatur. Quis enim unquam, nisi qui omnino frontem perfricuit, antecedentem ad laborem & pericula Principem, profecutus non est? Quis navem ascendere, imò & lintrem horruit, quam Princeps est ingressus? Quis fluvium pedibus natatu trajicere recusavit cum Dux ipse aut transvadendo, aut transnatando aditum non tantum aperuit, sed etiam expedivit. Conf. Le. Bleu Bell. Pr. & Pol. C. 36. p. 246. ubi multa habet exempla. (2) De præsidio ad defensionem necessariò. Si enim Fortalitii metuitur obsidio, miles ipsi immittendus est ad defensionem sufficiens: Numerus verò quæ  
B
litati



litati virium hostilium esse adæqvatus debet, habita & ratione ipsius defendendi Fortalitii circumferentiæ. *Sint quoq; selecti milites ad tuenda Fortalitia conducti*, fortes nempe, robusti, armis belliq; laboribus adsueti consummati; , rejectis tyronibus pacisq; deliciis & tranquillitate vel otio torpentibus. Hi quippe emolliti nihil nisi deditioem somniant, & commilitones desperationis venenò plerūq; inficiunt. *Circumspecta tandem nummorum ciborumq; hęc distributio necessaria est, ut æquales æqualiter accipiant, ægroti verò mitius liberaliusq; tractentur.* Secus si fuerit, hi deficiunt, illi verò in rebellionem prolabuntur. *Conf. Le-Bleu cit. l. p. 242. It. Bot. de Pol. Ill. L. 9. c. 18. p. 589. (3) De comœatu ad Defensionem necessariò*, qui juxta militum scriptorum proportionem & tempus, ad quod extendi obsidio potest, institui debet. Cujus rei cura Viris, integrâ fide claris, mandanda est; *Commissariorum enim Avaritia sæpius causa extitit Fortalitia dedendi.* Complectitur verò comœatus *varia frumenta, legumina, carnem, adipem, ligna, carbones, variâq; instrumenta, artes mechanicas, præsertim quæ ad rem tormentariam faciunt, Arma offensiva & defensiva, materialia pyrobolica, sulphur, linum, pulverem, & similia.* Quod si fortè contingat, deficere comœatum aliquâ ex parte, etiam citius ipsius hostis spe, iis, quarum potissimum premitur penuriâ Fortalitium, aliquando profusius in hostium conspectu utatur, ut sibi suppere copiam illorum hostes credant. Quomodo in Holsatiâ præsidarii Arcis Segebergensis fecerunt, cum ea à Woldemarò Duce Juliæ, Regis Daniæ nomine obsideretur. *Qui quanquàm pro diurnâ obsidione frumentò & farinâ destituerentur; Non minus tamen instrumentis ferreis molares tundendo exasperârunt, ut crederent Adversarii, farinâ & panibus eos abundare.* *Conf. Ranzov. l. 4. Comm. Bell. C. 11. p. 264. (4) De ejectione hominum imbellium è Fortalitia, quò spectant seniores, pueri, famelle, pauperes, item suspecti quicunq; variarum Nationum homines. Ad famem & annonæ diurnam caritatem sublevandam, pars etiam ipsorum Indigenarum in alias Regiones dimittenda est, ait Herod. Hist. 1. Si contingat ut obsiditionem tutò ejici nequeant, consilium egregium communicasse sibi videtur Ranzov. Finge, inquit, te aper-*



te apertò in campò extra urbem horà & locò constitutis, frumentum & panem divisurum. Cum exierint, portas claudas, ne intra urbem se recipiant. l. c. cap. 10. p. 262. (5) Tandem de Architectò militari. Cujus capacitatem accuratè, antequam operi admoveatur, pertentet Praefectus, ejusq; rationes saepius lapidi lydio allidat. Hic curet varias in vallò confici vias, cuniculosq; quibus apertis vel excursiones fieri possunt, vel hostis injecto pulvere pyriò, verti in auras. Investiget variis modis cuniculos hostiles, eosq; reddat irritos. Si quà læditur vallum, reparari curet quàm citissimè, & quæ porrò Conf. Ranzov. l. d. p. 262. Satis de his.

§. 7 Propiùs ad institutum venientes, Defensionis paucis exponemus modos. Peragitur verò ea (1) Frumentorum, Pagorum Suburbiorumq; si quæ adsunt, per emissos ante obsidionem milites, absuntione, ne ad hostium usus perveniant, quæ res prudenter expedita, hostibus aliquando voluntatem solvendi obsidionem excitavit. Nihil enim magis infringit militum animos, quam si spes illos decipit, laboremq; vident esse absq; remuneratione &c. (2) Montium viarumq;, quibus hostibus iter ad Fortalitium patet, munimentum tamen aliquod iis impositum, sat validò presidio occupatione. Sic enim hostem prius defatigatum reddent, quam in Fortalitii veniat conspectum. (3) Armis ab ipsis Fortalitii propugnaculis varii generis, quibus impediunt vehementiorem propinquirem accessum. Tormenta majora hic plurimum conducunt; Non enim arcent remotiùs hostem modò; sed etiam impediunt, terram nimiam gerrasq; contrahat, & ex iis tormentis suis sedem aptam conficere queat, ex quâ Fortalitium lædat. Spectant hùc variæ excursiones, quibus hostis cingens è fossis viisq; suis propellitur mirisq; modis exeruciat, fiant modò hoste inscio, & tempore accommodatò, adhibitò plus, ubi copia ejus adest, hostisq; adhuc à propugnaculis remotus est, equitatus quam peditatus. Conf. l. c. Le-Bleu. (4) Diversionibus. (5) Auxiliaribus Principis manibus. (6) Recessibus sive Regressionibus, quando scilicet hostes vi tormentorum ruinam minitari incipiunt, in vallò ac loricis erigendus est agger tormentarius, corbesq; loricales, cratesq; humo infartæ, quibus tuta euntium latera præstentur, operaq; hostium quatiantur, ipsiq; ex locis commodioribus repellantur, eoq; temporis momen-



momento instaurandi sunt interni recessus. Hi recte usurpati non raro salus extiterunt Fortalitorum, Obsidentium interitus. (6) Deniq; unanimi omnium in Fortalitio contentorum fortitudine, constantia atq; fidelitate, Quas ulterius perlustrare non vacat, nec reliquos allegare modos.

§. 8. Cum potissimum Defensio ex jure Naturæ demonstranda sit, quædam adhuc sunt prælibanda. M. T. Cicero tum 3. de finibus, tum aliis in locis eruditè differit, esse quædam prima Naturæ, Græcis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν; quædam consequentia, quæ ipsa tamen primis preferenda sint. Prima Naturæ vocat, quæ simul atq; natum est animal, ipsum sibi conciliat & commendat & ad se conservandum, atq; ad suum statum, & ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligit: Alienatur verò ab interitû iisq; rebus, quæ interitum videntur afferre. Hinc etiam ait, fieri, ut nemo sit, quin cum utrumq; liceat, aptas malit & integras omnes partes corporis, quàm easdem usu imminutas aut detortas habere; primumq; esse officium, ut se quis conservet in Naturæ statu; deinceps ut ea teneat, quæ secundum naturam sint, bellatq; contraria. Post hæc verò cognita sequi notionem convenientiæ rerum cum ipsâ ratione, quæ corpore est potior, atq; eam convenientiam, in quâ honestum sit propositum, pluri faciendum, quàm ad quæ sola primum animi appetitio ferebatur; quia prima naturæ commendent nos, quidem rectæ rationi, sed ipsa recta ratio charior nobis esse debeat, quàm illa sint, à quibus ad hanc venerimus. Hæc cum vera sint & ab omnibus, qui judicio sanò sunt præditi, facile sine aliâ demonstratione ad sensum impetrent, sequitur in examinando jure Naturæ primum videndum, quid illis Naturæ initiis congruat, deinde veniendum ad illud, quod utut post oritur, dignius tamen est, neq; sumendum tantum est, si detur, omni modo expetendum.

§. 9. His ita constitutis, dicimus; *Inter prima Naturæ nihil esse, quod defensioni repugnet, imò omnia potius eidem favent.* Quoniam & finis Defensionis, vitæ scilicet membrorumq; (dixerim ædium quoq; , bonorumq; nostrorum) conservatio, & rerum ad vitam utilium retentio, vel nova acquisitio, illis Naturæ primis maximè convenit; & vi ad eam rem si opus sit, uti, nihil habet à primis Naturæ dissentaneum, cum singulis ex ordine animantibus

bus



bus concessæ ideo per Naturam vires sint, ut se sufficienter tu-  
eri atq; juvare valeant. Unde Xenophon: Τα ἑὴν ἰσχυρὰ, τὴν  
μὲν ἐκίστα, ἡ δὲ πᾶσι ἐὸς ἀλλήλων μαθόντα ἰσχυρὰ τῆς φύσεως, Ho-  
ratus dixit:

*Dente lupus, cornu taurus petit; Unde, nisi intus  
Monstratum?*

§. 10. Sed atq; conflabit, nec esse eam contra secunda Natu-  
ra, sive contra rectam rationem Naturamq; societatis, quæ potissimum  
hic examinanda est. Quia hæc non omnem vim inhibet; sed eam de-  
mum, quæ societati repugnat, hoc est, quæ jus alienum tollit. Societas  
enim eò tendit, ut suum cuiq; salvum sit communi ope ac conspi-  
ratione Defensio autem, de quâ loquimur, non est contra societatis  
Naturam, cum contra eam non sit sibi prospicere atq; consulere,  
nec per eam jus alienum tollatur, ac proinde nec vis, quæ jus alte-  
rius non violat, injusta sit. Hoc Cic. Ep. Fam. XII. sic exprimit: Cum  
sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per  
vim, cumq; illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum  
est ad posterius, si uti non licet superiore. Ulpianus l. 1. §. Vim vi,  
de vi & vi armata: Vim vi repellere, ait, licere. Apparet autem ex  
eò, Arma armis repellere licere.

§. 12. Quantumvis hæc probatione acquiescere possemus,  
generales tamen adhuc aliquas addemus. Et quidem (1) probari  
posset, Defensionem Fortalitii esse licitam ex Scripturâ S. multipli-  
citer, nolimus tamen eò, tanquam in alienam messem, falcem immit-  
tere. Argumenta qui legere vult, conf. post Grot. l. 1. de J. B. & P. C. 2.  
n. 2. & c. Ad Conzen, Bot. & alios l. c. (2) Probamus, quia nititur om-  
nium Gentium & præcipuè Sapientum jure. De vi, quæ vita defendi-  
tur, notus est Ciceronis locus. Hoc & ratio doctis, & necessitas Bar-  
baris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem sem-  
per vim, quacumq; ope possent, à corpore, à capite, à vitâ suâ propul-  
sarent. (3) Quia Naturâ non iniquum est, ut, quantum quisq; facit  
mali, tantundem patiatur, juxta illud, quod Rhadamanti jus appella-  
tur:

*Quæ fecit, si quisq; ferat, jus fiet & æquum.*

Jam verò oppugnans Fortalitium, omnibus id perdere quærit  
modis. Quidni E. & ille, quod ad interitum suum facit, à defenden-  
te experiretur? (4) Quia, Deus ipse contra homicidas defensionem



gladii, strictionem concessit. Jam autem obsidentes non nunquam, justam ubi oppugnandi prætere nesciunt causam, homicidis parum sunt absimiles. E. (5) *Ex Argumento Paulinò: Si injuriâ quæquam affeci, & dignum aliquid morte commisi, non recuso mori Act. 25. 11.* Atqui contingit, obsidentes sæpius dignum quid morte perpetrare. E. (6) *Quia criminum poena & arma, quæ injuriam arcent, naturâ habentur laudabilia, & ad Justitiâ & ad beneficentiâ virtutem referuntur.* Tandem (7) *Quia licitum est bruta, & furiosos insanosq; homines, interitum nostrum meditantes, vi cum ipsâ etiam morte conjunctâ, abigere.* Quidni E. & hostes obsidentes, nostram everisionem non meditantes modò; Sed etiam sitientes. *Conf. H. Grot. d. L. 2. Cap. 2. n. 3. seqq.:*

§. 12. Ex Dictis probatisq; sequentia educimus (1) *Licitum est Fortalitio frumenta, Pagos, Pecora, Suburbia, & omnia, quæ hosti in usum cedere poterant, absumere, perdere, & quorum usus esse potest, intra valla recipere.* Ut enim injuriam in terram vicinam esse videatur, quod etiam extra hunc casum aliter exponi haud posset; Nihilominus quia videt, partim cessura hæc omnia hosti ad ventanti in pessimam prædam, adjumentumq; diuturnioris obsidionis; Partim ipsos possessores, dum videlicet sua colere nitantur, in maximum vitæ atq; captivæ periculum venturos, utriq; se opponit parti licitò modò. Illi animo hostili, dum perdendo omnia, ei obsidionem efficit graviolem: Huic, Amicò, dum & vitæ & Bonorum in Fortalitium receptorum curam gerit. Priusquam verò de nostris hosti quicquam concedamus, perdamus illud ipsi potius, naturalis æquitas suadet; Hic enim, præter perditionem, nil habemus, quod deploramus. Illic verò, præter jacturam rerum, agrè ferre cogimur, nosmetipsos hostem nostrum contra nos armasse.

§. 13. (2) *Licitum eidem quoq; est montes vel alia Munimenta procul à Fortalitio disita valido firmare præsidio, quod insultus hostiles divertat.* Nam sic & sibi suisq; rebus benè consulere, & Hosti maximum damnum inferre potest. Sibi, dum non statim in maximas redigitur, eò pacto, angustias: Hosti, dum ex improvviso eum lædit dictum Præsidium, regressumq; necessitat.

§. 14. (3) *Licitum porro est Fortalitio majora Tormentaria, Bombardas, Granadas &c. in hostem sibi propinquum hostili animo*  
exone-



exonerare, gladiisq; & aliis instrumentis bellicis adversus eum uti. Quod probamus partim, quia vim vi repellere licet; Partim, quia par pari referri potest; Partim, quia hostis est, contra quem cuncta recepta in Bellis arma legitime adhibet; Partim, quia absq; his defensio aut plane non, aut aegre satis obtineri poterit. Maximum post hæc ad defensionem momentum conferunt Excursiones continuæ, quæ ex a quo sunt licitæ, fiant modò opportunè, si vigiles scilicet pluviiis diuturnis madidi, nocte obscurâ, subq; Jove frigidò somno obruti sunt, vel alias ordinè non servant. Conf. Le. Bleu. l. i. c. 39. p. 261.

§. 15. (4) Licitum etiam est Fortalitio reliquis modis omnibus, quos supra §. 7 exposuimus, se defendere, quorum probationem partim jam tum addidimus; partim non vacat illis ulterius operam navare. Conf. interim Aut. cit. imprimis H. Grot. variis in locis, & Ad. conzen. L. 10. Polit. &c. Id prætermittendum non erat, quod contra hucusq; dicta à nonnullis obicitur. Scilicet videri per ejusmodi Tormentorum explosiones hostilesq; Eruptiones multa committi homicidia, hæc autem nullò jure concessa vel licita esse. Enimverò Resp. (1) Eadem difficultate videntur etiam premi quicunq; obsidentes; sed videntur, ergone nec ipsi Tormenta sua savire permittere possunt, aut Gladium contra Fortalitiū stringere. Ut ergò singuli liberentur à crimine homicidii (2) Probè observandum. Homicidiū quandòq; latissimè accipi, pro quacunq; hominis internecone, sive dolò fiat, sive coactè in sui defensionem, vel casualiter, sive à Magistratu politicò in quendã facinorosū, &c. Quandòq; verò strictè & propriè, pro directè intentâ & præmeditatâ internecone innocentis. Committi homicidia prioris generis, licet nõ secundum omnes, juxta quosdã tamen modos, concedo: Sed quid inde? Anne hæc sunt illicita, imò vel maximè licita sunt, approbante & ipso jure divino, ut de reliquis nihil dicam; Posterioris verò perpetrari generis, nego: Applies definitionem, & diversitatem capies. Græcum Proverbium ex Tragœdiâ Euripidis est: Purus profectò est, quisquis hostem occiderit: Homicida anne purus? Memorat Livius L. 26. more Græcorum cum his, qui extra Bellum occidissent hominem, lavare, potum sumere, multoq; magis sacra facere licitum non fuisse, cum his, qui in Bello, licuisse vel maximè. Unde E. sunt Homicidæ? Quicquid in hostibus feci, jus Belli defendit, ajebat apud Livium Marcellus. Unde Cæsar Hædus  
signi-



significabat suo beneficio conservatos, quos jure belli interficere potuisset. Conf. Grot. l. c. L. 3. c. 4. Excipis: Ledi nihilominus à defendentibus innocentes, videri E. in his obtinere Homicidium. Resp. [a] Leduntur etiam ab oppugnantibus Innocentes, quid E. diceret, si Resp. Sic par pari referri. Sed (b) hanc responsione opus non habemus, dist. inter id, quod directè & ex intentione primariâ fit, & quod indirectè & intentione secundariâ, quando scilicet innocentes ipsis periculis se immiscent. Si prior internecio innocentium obtineret, admitterem homicidium, quoniam verò posterior plerumq; attenditur, nec id concedi potest. Et quid? Committatur in Bellò vel defensione aliquod Homicidium, ergonè omnis hostis internecio homicidium erit. In defensione justissimâ homicidium perpetrari potest, E. nec defensio justissima est licita? Excipis porrò: Eruptiones non indici Hosti, unde videatur adesse dolus, & ex hoc fluens latrocinium. Resp. (a) Defensio ista indictione opus non habet, consentientibus plerisq; Jctis. E. nec actus unus vel alter ex eâ fluens. (b) Quamvis aliquis hic reperiatur dolus, honestò tamen & Gentibus usitatò fit modo, qui commendandus potius quàm vituperandus. Cur non tantùm ab hoste semper Metuendum ingruens malum avertunt Obsidentes per Excubatores. Cædant tunc plures, non homicidæ sunt, sed justi Sui Fortalitiq; defensores.

§. 16. Quod si verò contingat, ut exhaustis omnibus viribus, militibus prostratis, comœatu absumpto, spèq; omni extranei Principis auxilii præclusâ, Fortalitium viribus amplioribus Hostis obsidentis repagulum ulterius vix ponere queat; De honestâ sui magis cogitet deditio, quàm ferri ignisq; vim ulterius patiatur. Sic enim apud suum Principem in nullum cadit crimen. Conf. Burg. cent. 1. Obs. Pol. J. M. Obs. 17. p. 45. Et conventionis puncta impetrabit meliora, damnum perpeffum fermè resarcientia. Firmatâ deditio, occupatòq; eodem, non vereatur novo Domino prestare certis limitibus, si fieri potest, circumseptum Homagium, fidelitatemq; constantem eidem ferat. Sed de his seq. Dissert agemus. Jam, cum ulterius non liceat, referimus.

S. D. G.



ULB Halle

3

001 522 310




TA 30L


VD17











*Wolf de fortalitionum obsessor. defensione.*

1078. 46.

1678 228  
18 20

Q. D. B. V.  
DISSERTATIONE POLITICA,

# FORTALITIO- RUM OBSESSORUM DEFENSIONEM,

In Inclytâ ad Albim Academiâ,

*Favente gratiâ Cœli,*

SUB PRÆSIDIO

## M. JOHANNIS WOLFII,

Lobej. Sax.

*Publico Eruditorum Examinâ*

*exponit*

RESPONDENS

### PETRUS HENZ

Querf. Sax.

*Ad d. 23. Febr. Anno M. DC. LXXIIX.*

### In Auditorio Collegii Veter.



WITTEBERGÆ,  
Literis JOHANNIS WILCKII.

